

At quam gravest non cognosci! Sed fortuna est patibilis,
Quo contentus animus. At qui devincam mollitudinem?
Eheu mihi perdundus est vir ille magnanimus,
Quius imaginem saepe commotus maxume
Admiratus sum, quoius horru magnaitudinem,
Qui misit amicus. Hei, dolorem istunc pectus meum
Perferre non potest. Cito vitae voluptas finem capit.
Mihi iam gaudium evanuit. Ita etiam illos, quibus
Favere solet, fortuna comonet. Homost homo,
Etsi vir consularis est atque alios superat.

SCENA II

METELLUS, CAEPIO.

ME. Quid adfers, Caepio? — CAE. Em quidam civis aduluit
Hoc scriptum legato Karthaginensium;
Hoc ante hospitium illius in terra iacuit.
ME. Optumest, Caepio, salutem nuntia sis illi meam.

SCENA III

METELLUS.

Edepol istuc est scriptum Reguli proprium.
Numquid volt ille vir generosus atque maximus?
« Metello consuli Romano servos Regulus ».
Qui sic fert, ut tu, compedis, sit servos, magnus est tamen.
Aufer mi dignitatem et tuas mihi da compedis.
« Quodsi vales, ego valeo ». Valet miser, valet.
Qui hoc verbum mea hercle commovent praecordia!
« Atilia me visit, necullum verbum fecit de Publio;
Istuc significat illos ambos mihi advorsarier ».
Ah, illos advorsarier! « Ego in te iam, Metelle,
Spem omnem pono et tuis civilibus virtutibus:
Per maiorum tuorum praeclarorum cineres,
Per gnatorum tuorum fortunam, per nostram amabilem
Romam te rogo Romanorum consulem,
Ut me, quom habueris comitia, iubeas a lictoribus
Illoc ducier, ubi volo verba facere ultima.
Interea paratam mi navem habeas velim.
Non ego apud te pol meos pono gnatos in gratia,
Facit hoc magnus animus tuos atque illorum solitas.
Istaec quidem raptim scripsi. Vale ». Heu, qualem ultumam
Hanc commendationem! Gratias ago tibi, generose vir.
Accede, Caepio.

(Ad proximum numerum)


ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

Pauca exemplaria reperta sunt

IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae, cui titulus:

EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 550 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1100, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIV

Romae, Mense Decembri MCMXXXVII

Fasc. XII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, *Via del Governo Vecchio, 96* sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, *Città del Vaticano*.

SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARII
NOSTRI HUMANISSIMIS, *Dominicae Nativitatis quae imminent festa novumque
advenientem annum fausta, felicia ex
animo ominamur.*

*Proposita nostra in an. MCMXXXVIII,
qui vitae nostrae quintus erit supra
vigesimum, in proximo Ianuarii fasci-
culo, uti assuevimus, edicemus; hodie
tantum significare sit satis, licet pretia
omnis generis in dies creverint, nos
immutatum subnotationis pretium reli-
cturos, quod est in Italia libell. 15;
ubique extra Italiam summa Italicas
libellas 30 exaequans.*

*Huic vero novo sacrificio obimus,
favore immutabili Sociorum confisi,
qui non solum subnotationem suam
sint renovaturi, sed alios procurent,
qui ad causam Latinitatis, quam pro
viribus tueri satagimus, accedant.*


Pax omnibus et Bonum!

ALMA ROMA

DE RECTA ADOLESCENTIUM INSTITUTIONE

Nemo autem me toto velle et posse
potiri campo, quem aegre Tulliani fluvius
irroraret ingenii. Tantummodo de institu-
tione dicam, qua mentes adolescentium co-
lendae sunt, et quam dissonis sententiis
ventilari quotidie audimus. Dissonis qui-
dem, si rationem inspexeris, consonis au-
tem si propositam cuivis metam ex disce-
ptantibus consideraveris, nempe utilitatem
singulorum, bonumque commune. Si vero
inclaruerit quid prae reliquis praestet, quid
maxime opportunum atque utile futurum
sit et reipublicae et privato cuique, una
esse debet apud omnes vox circa teren-
dum iter in disciplinis tradendis, in pueris
instituendis, in adolescentia alenda, in fa-
miliari re augenda, in amplificanda repu-
blica, in honoribus assequendis, et conce-
dendis, in magistratibus gerundis, in omni-
bus denique officiis ac muneribus domi mi-
litiaeque subeundis et absolvendis, prout
unicuique optimo par.

Inveterasse autem et nonnullorum per-
tinacia percrebuisse scitis opinionem, per-
niciosa singulis, periculosam reipublicae,
qua unicum scholae, unicum academiae



opus esset scientia adolescentes erudire; mores autem fingere, animos ad virtutem formare, parentibus. Atque hoc libenter paterni maternique nominis reverentiae omnes concessissent, nisi perditи mores, nisi lues illa, quae *egoismus* iure dicitur, reliquas familias et rempublicam pariter vulnerarent. Quum ergo cavendum sit ne quid respublica detrimenti capiat, duplex dandum scholis videtur officium, erudiendi atque educandi.

At educatio triplex, civilis nempe, politica et religiosa. Velim etiam quartam addere speciem, familiarem utique, ut singularum societatum speciei, in quibus naturaliter homo est, cultus respondeat idoneus. Quadruplicem dicamus igitur educationem scholae credendam; non enim illis assentior, qui duplum tantummodo addentes, moralē scilicet et civilem, aut imperfectum quoddam, aut confusum proferunt, in quo «nec pes nec caput uni redditatur formae», dum inter civilia iura et officia, illa, quae sunt politica, ebulliunt, dum in ea quae sunt politica et moralia struis, religiosa convenient inopina, inexpectata ac tamen suprema. Quid leges sine moribus? Et quid absque religione mores? Angusta innocentia est ad legem bonum esse; multa sibi fides, probitas et humanitas vindicant, quae omnia extra publicas tabulas sunt; neque ipsa lex aliquid, praeter terrorrem praesentem, callido facile cuivis vitandum, habet, nisi et iusta, et aequa sit et a numine deorum tracta ratio.

Dociles effingat schola filios, matres et patres egregios, optimos cives, integerimos magistratus, austeros iudices, pios milites, remotis inquis imperiis, necesse est. Atque hic, et hinc orta dissidia, quae compressa adhuc non sunt; etiam, acuens aestu contentionis, longius eos disgregavit atque disiecit, qui paulo ante proximi disserbant.

Quaestiones igitur huiusmodi non absolventae et resolvendae modo, sed omnino

aptandae sunt ad usum vitamque nationum, ad bonum civitatis atque familiae, ut illa sternatur via generi humano ad ea tantummodo sentienda quae recta, bona iustaque sint, ad ea omnia superbius reiicienda et responda, quae societatem, cuiusvis nominis et generis illa sit — nos autem nihil prater bonum et honestum praesumimus — quomodocumque possint labefactare.

Quippe tunc erit optimum omnibus, quum quisque, pacata republica, et optime agat et beatissime vivat; tunc erunt generis humani deliciae, quum terra erit sermonis unius et labii eiusdem, non quod omnes idiomatico loquantur eodem, sed quod omnes prius illa quaerant, quae universis, non quae sibi prosint; tunc erit pax et felicitas temporum, quum non una lex erit Athenis, alia Romae, alibi alia, sed eadem intemperabilis ubique ac perpetua, unusque legis moderator, qui rerum hominumque Pater et Auctor, Deus. Scimus enim, docente nos historia, eas praevaluisse maxime gentes, quae tali sunt usae concordia; et videmus Europam nostram Asiae et Africac praestare hac ipsa de causa, idemque eas exhibere gentes, quae Europa deductae unitate magna in America et foedere valuerunt.

Atque hic operae pretium est, atque hic omne pondus, ut ita inter se concilientur iura, ne iura aliena conculcent, ita inter se diversa conseruantur officia, ne aliud proximum implicant vel remotum, et amice inter se coniurantia bonum tam in singulos quam in universos aequo cornu plenoque diffundant, ne, dum flumen conficitur, rivus arescat.

At quo ritu haec adstrui possint, ego, potiusquam ab obscurissimis conjectationibus, et acribus disceptationibus, deducendum ex historica animadversione puto, qua inquiratur undenam populus ille late rex, qui terras omnes possedit in consilio et patientia, illud assequutus sit, quod quingentis annis obtinuit, quodque non ami-

sisset, nisi ambitione privatorum civium, nisi luxu, vitiisque asiaticis, punicisque romanae contabuissent virtutes.

Atqui, si Horatio credimus, omnia in moribus, quibus imbuantur adolescentes, posita sunt; non enim aliud in illo saeculari carmine Romani imperii ad incolumitatem precatur, praeter hoc unum:

Di, date mores facili iuventae!

Mores autem iuventae inserere scholarum disciplina potest, ac debet; quae enim teneris ab unguiculis discimus, altius haerent animo, nec facile oblitione teguntur primo, inde delentur.

Ita quidem illa redibunt tempora, quibus plebs omnis leges optimas rogata ferebat, leges inquam, quae viginti et quinque abhinc saeculis durant, tempora quibus Cincinnatus et agricola fortis, et bellator strenuus, et imperator callidus, et dictator sapiens ferebatur, totidemque erant in Urbe Fabritii et Cincinnati quot homines, quibus quingentis et quindecim annis sancta et indissolubilia coniugia, servanda numina, patriisque mores colendi semper obsequio fuerunt, et, siqua in rebus immutanda publicis essent, ea virorum et parentum consilio, non seditione filiorum movebantur. Dolui enim diu bona fide hosce ultimos omnium tumultuum ac perturbacionum condimentarios facile esse factos, qui, cerei in verba flexi, in pericula coniiciuntur a factiosis hominibus, magis quam honores, opes sibi molientibus egregio sanguine comparatas.

X.

Mores primum, mox sapientiam dice, quae sine moribus maledicuntur.

Debent homines viaticum senectutis litterarum eruditione parare discendo, ne defecerint insipienti animo: litteras tamquam baculum infirmo corpori repertas esse: eundem esse finem discendi, qui et vivendi.

SENECA.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De vocibus reticendis.

a) Nomina substantiva reticentur, quae omissa nihil obscuritatis afferunt.

EXEMPLA: *Haec* (= has fabulas), utcumque animadversa aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine (TIT. LIV., Praef.) — Ex illo (tempore), felix nox mihi nulla fuit (PROP., II., 22, 42) — Triduo abs te nullas (litteras) accepit (CIC.) — Discebamus pueri XII (tabulas) ut carmen necessarium, quas iam nemo dicit (CIC.) — Cotta et Sulpicius facile primas (partes) tulerunt (CIC.) — Facile (homines) reperies id qui faciant — Misericordia oratores petendae pacis (causa) — Hoc fuit laboris et ingenii (opus) — Erit (tempus) quo fecisse nolles — Caeli distributio et certarum rerum notatio docet (locum) unde fulmen venerit, (locum) quo concederit; quid significet autem nulla ratio docet (CIC.) — Scitum est illud (verbum) Catonis, ut multa (CIC., Am., 24, 90) — Suppeditat nobis (locum) ubi animus reficiatur (CIC., Arch., 6, 12) — Illud (verbum) Hesiodum (CIC., Brut., 4, 15) — Hoc teneo: beatum esse neminem nisi sapientem (CIC.) — Omnis Augusti sermo ad hoc revolutus est, ut sibi speraret otium (SEN.) — Illud (= illa dispositio) ediscendo scribendoque commune est, utrique plurimum conferre bonam valetudinem, animumque cogitationibus aliis liberum (QUINT., I., 2) — Archimedes, dum in pulvere *quaedam* (= quasdam figuram) describit attentius, patriam captam esse non sensit (CIC.) — Ad hoc maledicta alia addebat (SALL.) — Ad ea Iugurtha benigne respondit (SALL.) — Ubi ea Romae comperta sunt, metus atque moeror civitatem invasere (SALL.) — Legati

¹ Cfr. fasc. sup.

haec se ad suos relatuos dixerunt (CAES.) — Narrabat Pompeius Posidonium graviter et copiose de *hoc ipso* nihil esse bonum, nisi quod honestum esset, cubantem disputavisse (CIC.) — *Is* (debitor) occultat gaudium suum, ne videatur non fuisse solvendo (CIC., *Off.*, II, 22) — Diligentia in omnibus rebus plurimum valet; *haec* (qualitas) praecipue colenda est nobis, haec semper adhibenda (CIC., *De Or.*, II, 148) — Flumen est Arar quod inter fines Aeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis in utram partem fluat iudicari non possit. *Id* (flumen) Helvetii ratibus transibant (CAES.) — Tam et *hoc* (= hanc fabulam) gentes humanae patientur aequo animo quam imperium patiuntur (TIT. LIV., *Praef.*) — Labor est functio quaedam vel animi vel corporis, gravioris operis et munieris, dolor autem motus asper in corpore, alienus a sensibus. *Haec* duo (= hos duos status) graeculi uno nomine appellant (CIC., *Tusc.*, II, 15, 35) — Erat comes eius Rubrius quidam, homo factus ad istius (= Verris) libidines. *Is* ad eum istam rem defert (CIC.) — Placuit dici dictatorem Camillum. *Is* Servilium Ahalam magistrum equitum dixit (TIT. LIV.) — Themistocles, Neocli filius, Atheniensis. *Huius* vitia ineuntis adolescentiae magnis sunt emendata virtutibus (CORN. NEP.) — Ut primum ex pueris excessit Archias, celester antecellere omnibus ingenii gloria contigit. Itaque *hunc* et Tarentini et Rheni et Neapolitani civitate donarunt (CIC.) — Natus est Themistocles. Qui quum minus esset probatus parentibus a patre exheredatus est (CORN. NEP.).

b) Pronomina personalia, quum partes nominativi agunt, fere non exprimuntur, nisi ob elocutionem expressam.

EXEMPLA: *Ego* canto, *tu* clamas. — *Ego* Catilinam egredi ex urbe iussi (CIC., *Pis.*, 2) — Quum *tu* has litteras leges, *ego* Caesarem fortasse iam convenero (CIC., *Att.*, IX, 15) — Hanc *vos*, pontifi-

ces, impudentiam, audaciam, cupiditatem comprobabis? (CIC., *Dom.*, 45) — *Ego* mihi maius quiddam proposui (CIC., *Verr.*, I, 12) — Facis amice *tu* quidem (CIC., *Att.*, VIII, 2) — *Nos* patriae fines et dulcia linquimus arva (VIRG., *Eclog.*, I, 3) — *Vos* lene consilium et datis et dato gaudetis (HOR., *Od.*, III, 4) — Beate vivere *nos* in sapientia, *vos* in voluptate ponitis (CIC., *Fin.*, 2, 27) — Disputabant, *ego* contra disserebam; dicebant, *ego* negabam (CIC., *Or.*, 30) — Eieci *ego* te, non deieci (CIC., *Caecin.*, 13) — *Vos* his testimoniis creditis! — *Tune* id patieris? — *Vos*, Quirites, imperio nati, aequo animo servitutem toleratis? (SALL.) — *Tu*, ornatus exuviis huius, venis ad eum lacerandum quem interemisti; *ego* iacentem et spoliatum defendo ac protego — *Ego* miserior sum quam *tu*, Terentia, quae es miserrima (CIC., *Fam.*, XIV, 3) — *Tu* Marcellus eris (VERG., *Aen.*, VI) — Veteranorum commoda, ut *vos* optimi testes estis, semper *ego* sententia, auctoritate, oratione firmavi (CIC., *Phil.*, XII) — Si iniquus es in me iudex, condemnabo eodem *ego* te crimine (CIC., *Fam.*, II, 1).

c) Possessiva omitti solent, quotiescumque e contextu intelligi possunt, nec in eis ulla peculiaris vis inest.

EXEMPLA: Quum pila ludere vellet, tunicam posuit (CIC.) — Ponunt ferocia Poeni corda (VERG.) — Sit censor qui viros doceat moderari uxoribus (CIC.) — Ingenium in musicis consumpsit (CIC.) — Fratres caesos ulcisci volebat (Ov.) — Venus, ut natum vidit, talibus affata est dictis (VERG.) — Marius senile corpus paludibus occultavit demersum (CIC.) — Corpora sub ramis deponunt arboris altae (VERG.) — In philosophiae studio aetatem consumpsi (CIC.) — Retorquet oculos saepe ad hanc urbem (CIC.) — Flebat pater de filii morte, de patris filius (CIC.) — Propone ante oculos Deum (CIC.) — Eum tenuis velabat carbasus et crines tegebant arundo (VERG.) — Patrem *meum*,

quum proscriptus non esset, iugulastis; me domo *mea* per vim expulstis; patrimonium *meum* possidetis (CIC.) — In dextris *vestris* iam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis (Q. C.) — Frater est expectandus mihi (TER.) — Tardissime Lentulus venit, credo quod litteris dandis, praeter consuetudinem, proxima nocte vigilaret (CIC., *Catil.*, III, 6) — Non aetas quemquam, non valetudo, non sexus retardavit quominus oculos insolito spectaculo impleret (P. i., *Panegyr.*, XXII) — Ut nutrices, ut paedagogos, ut praceptores pro suo quemque officio diligebat! (P. i., *Epist.*, V, 16) — Medicis obsequebatur, sororem, patrem adhortabatur (P. i., *Epist.*, V, 16) — Ubi audivit, componit vultum, intendit oculos, movet labra, agitat digitos (P. i., *Epist.*, II, 20) — Cupiebat mutare testamentum (P. i., *Epist.*, II, 20) — Postquam signatum est testamentum, mutat personam, vertit allocutionem (P. i., *Epist.*, II, 20) — Pater (meus), uti necesse erat, naturae concessit (SALL., *Iug.*, 14) — Affines (meos), amicos, propinquos ceteros, alium alia clades oppressit (SALL., *Iug.*, 14) — Legati Iugurthae, largitione (sua) magis quam causa freti, paucis respondent (SALL., *Iug.*, 15) — In regnum Adherbalis animum (suum) intendit (SALL., *Iug.*, 19).

d) Verba sic dicta «phraseologica» latine reticentur et in altero verbo inclusa intelliguntur. Hoc verbum voce pronominali non raro transferendum est.

EXEMPLA: Non tamen *sustinuere* aciem Romanam Aequi (TIT. LIV.) — Regulus Carthaginem rediit, neque eum caritas patriae *retinuit* (CIC.) — *Fer* difficultia, facilia levius *feres* (P. S.) — Inter fines Helvetiorum et Allobrogum Rhodanus fluit, isque nonnullis locis vado *transitur* (CAES.) — Perfecit Epaminondas ut auxilio sociorum Lacedaemonii privarentur (CORN. NEP.) — Quaestione nova perterritus in Asiam *profugit* (CIC.) — Ista video *fateor*-

que esse magna (CIC.) — Non *taces*, insipiens? (PLAUT.) — Non mihi *respondes*? (TER.) — Opinionibus vulgi *rapiuntur* in errorem (CIC.) — Plerumque parentium praecepsis imbuti ad eorum consuetudinem moremque *deducimur*; alii multitudinis iudicio *feruntur* (CIC.) — Ipsi ex silvis rari propugnabant nostrosque intramitiones ingredi *prohibebant* (CAES.) — Q. Maximus C. Flaminio tribuno plebis restituit agrum Picentem et Gallicum viritim *dividendi* (CIC.) — Adolescentium animi molles et aetate fluxi dolis haud difficulter *capiuntur* (SALL.) — Voces miserabiles *exaudiuntur* (TIT. LIV.) — Amicitiae nostrae memoriam *spero* sempiternam fore (CIC.) — Hamilcaris pertinaciae cessit Catulus (CORN. NEP.) — Fas est et ab hoste *doceri* (Ov.) — Quis tam fuit ferreus qui non misericordia *commoveretur*? (CIC.) — Antequam *delectata* est Atheniensium civitas hac laude dicendi, multa iam memorabilia effecerat (CIC.) — Num quae tempestas impendeat vates melius *coniiciet* quam gubernator? (CIC.)

e) Libenter reticent verbum «sum» cum temporibus infiniti, que ex eo et participiis formantur.

EXEMPLA: Temere credunt multi eum qui orationem bonorum imitetur, facta quoque imitaturum (CIC.) — Lapidem in medio terrarum casurum e sole Anaxagoras praedixisse narratur — Venturos iterum se pollicentur — Hannibal fatebatur se a Fabio victum — Sperat adolescens diu se viciatum — Tiberium Fundis natum quidam existimarent — Plato tum demum beatum terrarum orbem futurum praedicavit, quum aut sapientes regnare aut reges sapere coepissent — Spero me rem confiteturum priusquam redieris — Carnutes se principes ex omnibus bellum facturos pollicentur (CAES.) — Quo tandem animo Galliam hanc rem auditaram putatis? (CIC.) — Petreius postulat ut iurent omnes se exercitum ducesque non deserturos

(CAES.) — Philocles sentiebat se nullius momenti apud exercitum futurum (CORN. NEP.) — Coacti sunt Aedui Sequanis obsides dare nobilissimos civitatis et iureu-rando civitatem obstringere sese neque obsides repetituros, neque auxilium a populo Romano imploraturos (CAES.) — Spero me integratatis laudem consecutum (CIC.) — Ducuntur homines spe sibi id utile futurum (CIC.) — Quod ipse tibi suaseris, idem mihi persuasum putato (CIC.) — Scimus legiones nostras in eum saepe locum profectas alaci animo, unde se nunquam reddituras arbitrarentur (CIC.) — Lacedaemonii, Philippo minitante se omnia quae conarentur prohibitum, quae-siverunt num se esset etiam mori prohibi-turus (CIC.) — Qui illud animi causa fecerit, hunc praedae causa quid facturum putatis? (CIC.) — Rempublicam defensam boni cives volunt (CIC.) — Caesar iurat se nisi victorem in castra non reversurum (CAES.) — Errorem, quasi radicem malorum omnium, stirpitus philosophia se ex-tracturam pollicetur (CIC.).

f) Si quis per alium agit, Latini verbum « iubeo » reticent, nisi ad actionem iubendi attendunt.

EXEMPLA: Caesar omnibus qui arma tulierant manus praecedit (HIRTUS) — Pompeius haec providerat et superioribus diebus frumentum omne conquisitum per equites comportarat (CAES.) — Manlius Torquatus securi filium percussit (CIC.) — Caesar duas fossas tredecim pedes latas eadem altitudine perducit (CAES.) — Placuit Regulo statuas filii et imagines quam plurimas facere: illum coloribus, illum cera, illum aere, illum auro effingit (P. i.) — Caligula fabricavit liburnicas, gemmatis pupibus, versicoloribus velis, magna etiam vitium et pomiferarum arborum varietate (SUET.) — Augustus ephebis epulum in conspectu suo praebuit (SUET.) — Verres quum ad aliquod oppidum venerat, lectica usque in cubiculum deferebatur

(CIC.) — Verres hominem corripi ac sus-pendi iussit (CIC.) — Caesar pontem qui erat ad Genavam iubet rescindi (CAES.).

S. Leonardi in Helvetia.

I. JSS.

EPSTOLARE SOCIORUM COMMERCII

Nostra res.

FR. PALATA dri. I. FORNARI, *Almae Ro-mae nostrae moderatori clarissimo, s. p. d.*

Ex ultimis Commentarii fasciculis magno cum gaudio edoceor Italos in « Congressibus internationalibus » viriliter rursus introducere linguam latinam: Mediolani latine loquutus est medicus doctor Favaro; Hagae iurisconsultus dr. Romani. Faustum sit omen! Fortasse viri docti etiam aliarum gentium paulatim exemplum sequentur. Me iuvene, in Studiorum Universitate Pragensi ophthalmologiam tradebat dr. Schöbel, qui et ipse Latinitatis cultor erat eximius. Quandocunque Promotoris vice fungebatur, totam formulam latinam, qua candidatis doctoris dignitas impertitur, memoriter clara ac distincta voce proferebat; et in nosocomio, ne ab aegrotis intelligeretur, studiosis saepe naturam, progressum, instantemque eventum huius illiusque morbi latine enarrabat. Dolenda est eius praematura mors; si adhuc viveret, profecto communem causam nostram pro viribus adiuvaret. Inter nostre recentissimi temporis Latinitati imprimis foveat insignis balneologus dr. Fr. Lenoch, protomedicus balneorum Teplice in Slovacchia, idemque privatim docens in Universitate Pragensi: est in numero lectorum tuorum.

Sed de his rebus fortasse alia dabitur mihi occasio fusius disputandi. Tu interim macte semper virtute nova, et vale.

D. Trebic in Moravia, III kal. dec. MCMXXXVII.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA¹

AETAS NOVISSIMA.

Instauratio, de qua pactum fuerat in Conventu Vindobonensi an. MDCCXIV eo spectabat, ut omnia restituerentur in pri-stinum, nempe ante Gallicam rerum ever-sionem, ante res a Napoleone gestas. Id tamen omnino fieri non potuit; historia enim nunquam retro graditur; at semper progreditur; ideo « Sanctum Foedus » illud, quod initum dicebatur inter Russiam, Bo-russiam et Austriam, huic fini defuit plane; inserviit vero eisdem ut iniqua nova facilius cumularent. Ita Veneta respublica et Li-guria, quae detrectabant instauracionis prin-cipia et Conventui interesse renuerunt, re-stitutae non sunt, sed suppressae adiectae-que haec Pedemontio, altera autem Au-striae, licet huic antea non pertinuisse nisi a Campoformensi ad Presburgensem tra-ctatum: annos octo! (MDCCXCVI-MDCCCV).

De dismembrata Polonia nonnisi minima pars, Cracovia, libertatem servat.

Germania non redit in Imperium; sed conflatur in foedus quadraginta tantum Sta-tuum proprii iuris, sub alto moderamine Austriae: in his Borussia praeminet.

Helvetia limites quosdam patitur in con-stitutione, qua liberalior videbatur, non tamen in territorio, quod, ut antea, in duas supra viginti distribuitur provincias (« Can-tones » vulgo nuncupantur), iure pares.

Hollandiae adiunguntur Belgica et Lu-cemburgum, quasi ad colonias quosdam compensandas, quae Angliae cesserant.

In Italia omnia in pristinum rediere, si Venetias et Liguriam exceperis, de quibus supra diximus; cautumque est ut « Duca-tus » Lucensis Mariae Aloysiae, quondam Etruriae reginae, adiudicaretur, et Par-

mensis Mariae Aloysiae, Napoleonis uxori et quondam Imperatrici.

Progreditur motus ad arctiorem unionem apud singulos Europae populos, Polonia excepta; progreditur in Italia quoque, licet tardius ob invidias populorum, aut melius, regum externorum, Austriae praesertim, sed etiam Galliae et Borussiae: Austriae Imperium recuperat quadamtenus prima-tum.

Anglia colonias lucratur: in Europa Me-litam (MDCCC); in Asia Ceylanum (Gallis an. MDCCXCV erectam); in Indis occiden-talibus Trinitatem, S. Luciam, Honduras, Guianam, quasi ad Americae Civitates compen-sandas, quae sese in libertatem vindicaverant; in Africa denique coloniam Capitis.

Lusitaniae et Hispaniae regna nullam subeunt mutationem; sed arctius Angliae devinci videntur.

Scandiae civitates citra Balticum mare plane recedunt.

Russia penitus sese immiscet in res Eu-ropeas.

Turcarum imperium ab Europa est se-quester.

Germania, semper acerrima erga Galli-los motus et mores, nunc praeterea magis magisque ab Austria recedit, firmiusque in dies cum Borussiae rege coalescit.

In Italia per totum restorationis tempus (MDCCXV-MDCCXLVIII) Status hi sunt :

1º Regnum Sardiniae (cap. Augusta Taurinorum) sub gentis Sabaudiae ditione, complectens Sardiniam insulam et conti-nentem terram, in quatuordecim divisiones distributum; sed in divisione Nicien. erat Principatus Monoecensis sui iuris;

2º Regnum Langobardum - Venetum (cap. Mediolanum et Venetiae) ex antiquis civitatibus Mediolani, Mantuae et Venetiarum, distributum in decem et septem pro-vincias, adiectum imperio Austro-Hunga-rico.

3º Ducatus Parmensis et Placentinus,

¹ Cfr. fasc. sup.

cui etiam Guastalla adnexa erat, quinque complectens «districtus», Mariae Aloysiae, uti diximus, quondam Imperatrici, Napoleonis uxori, dum viveret; postea Ducatu Lucensi et Etruriae uniendus;

4º Ducatus Mutinensis, in sex provincias divisus, quae veteribus fere dominabitibus responderent, qui rediit ad Franciscum IV ex Austriaco genere;

5º Magnus Ducatus Etruriae (cap. Florentia) liber et solutus, cui adiectae nonnullae terrae fuere, et an. MDCCXLVII cessit Ducatus Lucensis;

6º Status Ecclesiae (cap. Roma), ex antiqua Ecclesiae dictione, Avenionis excepta, quae Galliae cesserat, in viginti et unam provincias distributus;

7º Regnum duarum Siciliarum, quod dicebatur, ultra citraque fretum (Farum) in viginti et duas provincias dispergitum (cap. Neapolis), quod ad Ferdinandum IV e Borbonica gente rediit;

8º Respublica S. Marini, quae nunquam non libera plane fuit.

Qui omnes Status licet civili ratione alii ab aliis divisi, in unitate quadam tamen continentur; exterius quidem eo quod omnibus, directe vel indirecte, una Austria praeminet; interius vero quod unus est omnium animus, unum omnium votum, una contentio, libertatis vindicandae ab exteris, civilis unitatis componendae.

Inde motus. An. MDCCXLVIII Mediolanum et Venetiae imperium externum excutunt, brevi libertatem fovent, quam mox rursus amittunt; at an. MDCCCLIX Mediolanum et Langobardica regio in libertatem vindicantur regnoque Sardo adnectuntur. Anno MDCCCLX Etruria, Mutina, Parma eidem sponte sese dedunt; mox adnectitur, deicto Francisco II rege, etiam Sicilia et Neapolis; tum Victorius Emmanuel II, Sardiniae rex, regnum Italiae proclamat (d. XVII mens. martii MDCCCLXI), quod universam complectitur paeninsulam, exceptis Venetiis et Latio cum Roma; anno

MDCCLXVI adnexa est Veneta ditio; anno MDCCCLXX Latium et Roma; an. MCMXVIII Venetia Tridentina et Iulia; postea Flumen et Zara urbes ad Adriaticum mare. Civilis restituta unitate, redditur et unitas iuris. Praestat itaque recensere quo singuli Status Italiae iure uterentur a restaurazione ad unitatem.

Quod quidem ad alium numerum delegamus.

SYLVIA ROMANI.

DE EXTRANEIS ARTIBUS APUD BARBAROS AFROS INVECTIS

Memini me quondam librum legisse germanici viri F. von Luschan, Afrarum rerum peritissimi, cuius videbatur peracutum consilium, ut novos quosdam revelaret ethnographiae, sive gentium disciplinae adspectus et modos. Praeter illam enim amentem saepe doctorum manum, quae in barbarorum mores non alia da causa tanto studio inquirit, quam ut vetustissimam omnium hominum condicionem in ipsis adveniat et recognoscat, alia est equidem, eaque sapientior, quae philosophiae disceptationibus sepositis, res et facta ad unguem, oculare, assidue, studiose, minutum recolligit, humiliore forte labore, at ferme tutiore. Unde compertum primo est barbaros Nigritas, vel Indos, vel Australianos haud sane eos semper fuisse populos naturae curis unice relictos, quibus nulla humanarum gentium communio fuerit oblata; contra, ipsos quoque, quamvis lentissimo gradu, in humanitatis itinere aliquantulum nonnunquam progressos, et scribendi arte, vel simili saltem instructos fuisse, aut memoriam rerum gestarum tam divitem, tam variam, tamque constantem servasse, ut sit fere prodigo adscribenda.

Nec satis: innotuit enim, pluries progressum huiusmodi in solitudine atque in

civili consortii quodam exsilio et segregatione minime processisse, sed multa saepissime, data opera aut fortuito, ab extraneis fuisse educta, inventa.

Suahelium ferme est, quorum tribus orientale Africae litus inhabitant, fabularum copia, quas Steere Anglus in volumen colligens ex Arabum poësi deductas passim reeognovit; ex Indorum vero memoriis, quae reliquae essent, depromptas illum latuit.

Est enim fabula, ut pauca attingam, de simia enarrans, quae ut squalum sese invitantem inviseret, in ejus dorsum concidit. Ille autem, dum fert, simiae fatetur, sese ad imperatorem suum eam adducere gravi laborantem morbo, cui una tantum medicina cor simiarum. At quadrumanis statim cor sese secum non circumferre, sed ad arborum quamdam appensum servare affirmat; impetrat igitur, ut det commodum ad auferrendum. Tunc squalo ingenue credenti atque ad litus reverso, ipsa in summo arbore tute consedens fabellam ad ludibrium dicit de lepore atque leone; leporem — qui Nigris eadem calliditatis laude pollet qua apud Aesopum vulpes — asinam ad leonem adduxisse, suadentem animalium regi eam iri nuptum; leonem, contra, bardam asellam discerpsisse, fragmentaque dedisse lepori custodienda, quoad is balneo rediret. Quum vero rediit, aures et cor asinam defiebant, quam sibi partem relinqui potissimum rex iusserat, et lepus manducaverat; qui belluae ut iram placaret, impudenter: — Asinis — inquit — nec aures nec cor fuerunt unquam. — Atqui fabella ad Pancianantra libri quarti initium eadem est, mutatis tantum squalo in crocodilum, lepore in canem.

Sunt autem et plures, quae Arabo ex fonte detortae plane apparent, multaque imitantur ex celeberrimo libro, qui *Mille et una noctes* inscribitur; aliarum contra verborum forma atque stilus extraneam originem arguunt.

Sed praeter fabulas atque cantiunculas indicia multa supersunt, quae ex ethnographia in argumentum consentiunt, eorumque praecipue domorum atque ianuarum figura. Quae enim in orientali Africa, *tembae* dicuntur, et exaequo coopertae tecto, quasi in capsulae formam exstructae casae sunt, eae in Asia occidentali passim conspicuntur. Parietes palis atque ramis contextae strato desuper coenosco obteguntur; tectum eadem ratione confectum est. Porta binis postibus clauditur, quae non cardine quidem, sed axiculo revolvuntur. Harum domorum adeo similes orientales Asiae regiones habent, ut ad Ugogo *tembam* quamdam si in Syriam transferretur, nullus Syrus animadverteret.

Postes vero axiculo sese volentes Aegyptiorum vetustissima monumenta proferrunt, quae Orientales omnes plurima per saecula adhibuerunt. Afri, qui sub torrido tropici aestu incolunt, easdem semper habent, pariterque Indorum, et Sinensium civitatum, et Iaponiae vetustissimae domus. Quas quum videamus tam late diffusas, arguere debemus communi origine in Mesopotamia obortas, ubi quae maximae huiusmodi portarum cognoscuntur, reperiae fuere in Assyriorum urbe Balawat, hincque ad Persas, ad Indos, ad Afros, inde vero Sinensibus et Iaponensibus communicatas.

Indorum mores in eorumdem postium forniciibus ac stipite adornandis scalpendisque invaluere, in quibus loti flos frequentissimus redit; idemque confirmant aeneaei clavi acuto in postibus defixi, quibus Indi passim utuntur contra elephantes, ne portas frangant. In fornice autem arabicae inscriptiones non raro leguntur ad ornatum descriptae, etsi, ignara artificum manu scalpente, impervia lecturae signa evadant.

Sunt denique ex extraneo more certo inventae galeae plumis ex variis coloribus cristatae, quas paleis et stipulis sibi multi barbarorum contexunt, ex Lagos, ex Us-

sukuma in Africa, ex Indi oceani litoribus, et Hawai Novaeque Iberniae inculis. Quae quidem videntur ex commerciis inductae, prouti Europam inter et Afros semper actuosa opera convaluere. Longissima enim est series quam ex libro, anno 1670 edito, F. von Luschan ille excerpit, merces exhibens a Batavis, ab Anglis, a Germanis ad Aureum litus delatas, unde eruit plane barbaros eos Nigritas, aliquot iam abhinc saeculis, Germanis linteis, Turcarum tapetibus, Damascenis sericis, lancibus insculptis, ollis stanneo expolitis, cultris ex chalybe, Iberis vinis esse usos; nihil igitur mirum galeas stipularum quoque a nostrorum micantibus galeis esse imitatos.

A. C.

PRAESEPE DOMINI ad Sancti Martini - Neapoli¹

Quae imperia atque urbes recubant ad litora ponti
Aequoris aut imo gurgite mersa silent,
Hac arce ex alta muto perfusa sopore
Communis mortis fulgida luna videt;
At cum mane ardent laeta incunabula solis.
O mea Parthenope, ter dominata mari,
Primo ardere auro, primo et candere pyropo
Parvulus hic gaudet Rex choreas cherubim.
Pulchrior ecce rosis, fulgens et sole capillos.
Regem quem pacis carmina sacra canunt,
Ad Te iam currunt gentes, pecudesque alitesque
Imperia ut subeant, dulcia sceptra Dei,
Turribus ex auri, myrrae de litore amaro,
Incensi e silvis mystice odoriferis.
Mense Decembri MCMXXXVII.

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

¹ In veteri coenobio ad S. Martini, nunc civitatis museo, summa in urbe Neapoli, celeberrima fictilis praesentatio Dominici praesepii asservatur, olim Caroli III, regis e Borbonia stirpe, iussu fabrefacta, iamque in regalibus Casertanis aedibus splendide culta.

COLLOQUIA LATINA¹

XXXVI

Ludus nucum.

FLAVIUS, DIONYSIUS, SYLVANUS,
CRISPUS.

FLAVIUS. — Adeste, sodales; ego istam ollulam a coquo, veterem et rimosam, exoravi, ut luderemus nucibus.

DIONYSIUS. — Quid ad hoc ollis egemus?

SYLVANUS. — Miror istum lusorem ollarium.

CRISPUS. — More antiquo recepto ludamus: impinge hanc ollam parieti.

FLAVIUS. — Tibi pugnum facilius ac libentius in os impegerim. Praeceptor me novum quemdam lusum docuit; eum iam vos docebo; discetis nullo negotio.

CRISPUS. — Ergo doce.

FLAVIUS. — Unusquisque de collusoribus imponit in olla duas, tres, quatuorve nuces, quot denique voluerit. Post, humili collocatur; communis consensu meta statuitur, a qua unusquisque os ollae ter aut quater nuce petit vicissim, et eo ordine ac loco quem quisque sortitus fuerit. Iuglante ab olla ad metam provoluto, proximus metae sit primus, huic vicinior secundus, et ita deinceps.

SYLVUS. — Quid amplius?

FLAVIUS. — Qui vel solus, vel saepius suas nuces iniecerit, auferet omnes quae in olla reperiuntur.

CRISPUS. — Agite, ita ludamus.

DIONYSIUS. — Duas impono.

FLAVIUS. — Nos similiter.

SYLVUS. — Iuglans altera de tuis est vittiosa, quia mucida.

FLAVIUS. — Ecce aliam. Huius ego nucleus statim comedam; tibi relinquam putamina.

SYLVUS. — Devora haec quoque.

¹ Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

FLAVIUS. — Hic ollam depono: hic erit meta quinque meorum passuum intervallo.

CRISPUS. — Ita, quinque passuum.

FLAVIUS. — Nunc sortiamur vices. En ego metae proximus.

DIÖN. — Ego te propior.

SYLVUS. — Ego te.

CRISPUS. — Ego omnibus.

FLAVIUS. — Est igitur princeps Crispulus, alter Sylvanus, tertius Dionysius, postremus ego.

CRISPUS. — Proh! aberravi.

SYLVUS. — Ansam tetigi.

DIONYSIUS. — Meam inieci.

FLAVIUS. — Et ego meam. Lude, mi Crispule, et perde rursus iactum tuum.

CRISPUS. — Iterum erravi.

FLAVIUS. — Divinabam hoc fore.

SYLVUS. — Vidisti? Inieci meam.

DIONYSIUS. — Heu! infastus fui hoc iactu.

FLAVIUS. — Ecce duas nuces intus habeo: spero victoriam.

CRISPUS. — En tertia intus est. Sed quid hoc prodest?

SYLVUS. — Iterum intravi. Nisi tu, Flavi, tertiam inieceris, erimus pares, ac praeter alios quartum aut quintum etiam iaciemus, donec penes alterum Victoria fuerit. Mitte nucem, Dionysi.

DIONYSIUS. — Possum ego, favente fortuna, secundam inieceri, et aberrare, Flavi, ab hac ultima petitione tua; tum ego utrique vestrum ero par, et palma nullius.

FLAVIUS. — Si potes. Oho! oho! errasti. Tertia, tertia est intus; omnes nuces meae sunt. Octo depositae initio; iniectae a meis, a Crispulo una, a Sylvano duae, a Dionysio una: quindecim nuces, e quibus quinque meae, decem vestrae. Praemium igitur decem nuces. Io triumphhe! Domini sciurum alo, cui hodie coenam dabo largissimam. Hem, istuc mihi certum erat.

Gloriam et honorem non debet sequi virtus; sed ipsa virtutem.

S. AUGUSTINUS.

¹ Cfr. fasc. sup. mensis octobris, ubi vero in carmine II legendum erat *flamina pro flumina*.

SPECIMINA POËSEOS BOHEMICAЕ LATINIS VERSIBUS REDDITA¹

Jaroslav Vrchlický (1853-1912)

III

CHALIPHUS OMAR IN SOLITUDINE

Selus praemeditatur Omar, vates Mohameti, orbem terrarum qui sibi subiiciat. In tesquis degit vigilans noctesque diesque: solis et astrorum iam bene novit iter. Esurie corpus, meditando corda fatigat: hospes nec quisquam — ni leo — visit eum. Languidus et fessus vigilat nocte profatur ad se ipsum quandam mane rubente novo: « Seu lucet, caelum seu nigrat, vox mea clamat per deserta pie: Noster es, Allah, herus! Quid tamen inde lucri? Sunt undique tesqua.

[Quis audit

me? Vocem curat quis sociare mihi? Si saltem ramos heic panderet unica palma atque meis votis frondibus adstreperet!

Sed circa — sphinges velantur pectora harenis, heic obeliscus, ibi fracta columna riget. Inclamo frustra, frustra vestigia verto: est surdum caelum, nescia tesqua dei ». Dixerat. At subito nitet Eos aurea. More clamat Omar solito: « Noster es, Allah, herus! »

Prodigium! Sphinx consurgens, per saecula coa-

[ctis

pulveribus lumbos, dorsa humerosque levat. « Sphinx ego sum — mugit — cui sunt deserta

[tuenda.

Sole oriente sono: Noster es, Allah, herus! » Quis procul huc fertur fremitus? Quid mi-

[scet arenas?

Ventilat horisoni flaminis ala solum. « Letalis ventus flamas de faucibus halo.

Cum neco cuncta, boo: Noster es, Allah, herus! »

Prosilit e fruticum silvâ leo corpore magno, horrescente iubâ, lumine fulmineo.

« Rex ego deserti dico. Vix fulgurat Eos, edo mugitus: Noster es, Allah, herus! »

Et quo tesqua patent longe lateque, repente

turbatur: sabulum turbine corripitur.
Ossa camelorumque viatorumque resurgent:
in formas coeunt ordine corporeas.
Iam sceleti vibrantur in aere, carnibus orbi:
cum crepitu teritur crus putre crure putri.
«Vitâ defuncti duce Morte volamus et illa
ore boat nostro: Noster es, Allah, herus!
Ast tu mente tuâ, proles terrena, teneto:
Dat responsa deus te rogante pie.
Vel fugiens oculum, vel non perceptus ab aure,
colloquitur tecum, cum tua corda micant.
Lapsus humi miratur Omar, quae cernit et audit
torrentis lacrimae more per ora ruunt. —
Et vates solâ pergit meditarier orâ;
orbem terrarum qui sibi subiiciat.

FR. PALATA.

ANNALES

Discrimen Hispanicum.

Coetus Europaeorum nationum Londini congregatus de non interventu in Hispanico discrimine, Russorum tandem obnuntiationes superavit; iisque licet suffragium suum denegantibus, rogationem Italicam de rationibus ab Anglia propositis exequendas ratam habuit. Interrogatae itaque sunt partes inter se dimicantes quid de voluntariis exteris militibus dimittendis sentirent: Franco, Nationalistarum principis, respondit se legationem apud se ad rem perficiendam non quidem reiecturum: velle tamen ut eius officia subtiliter praefiniantur sibique ius tribuatur circa legatorum singulorum qualitates inquirendi; altera vero bellantium pars, Russorum moribus optime imbuta, diem de die ducit. An videt se ad extremum vitae esse tandem adductam? Certe rei publicae gubernacula a Valentia ad Barcinonem urbem traduxit, dum custodiae maritima ab adversariis iuxta oras, quae adhuc in eius manibus sunt, per octingenta chilometra ponuntur.

Palaestina seditio et Iaponiensem
in Sinas incurso.

In seditiosos Palaestinae Arabes, terrore et metu tum in Hebraeos tum in Anglicos imperii ministros semper agentes, coercitioni non parcitur: vinculis et morte seditionis principes multantur; iter quo fuit Farhan Saadi, Arabicae libertatis adseritor acerimus, qui licet octuaginta annos natus, laqueo fractus est. Quod quidem exemplum minime valuit ad Arabum furorem continentum, qui immo nunciatur et in inferiori Arabia et in regione trans Iordanum posita proximis hisce diebus arma ministrasse.

In Sinis Iaponii ultra in dies procedunt: Shangai, Nantao, Kiating urbibus captis, nunc Nankini, urbis Sinarum capititis, viam ingressi sunt.

Nova rei publicae disciplina in
Brasilia constituta.

In Brasilia Getulius Vargas, rei publicae praeses, ut tandem aliquando Communistarum nisibus, civitatis felici fortunae indesinenter minitantibus, finem viriliter impuneret, dimisso Senatu publicoquo Coetu legibus ferendis, summa imperii sibi ad tempus assumpsit novamque rei publicae disciplinam proposuit, a populi scito iubendum, cuius fundamenta artis collegia erunt implacabilisque contra hominum societatem et communitatem eversores contentio.

Superi fortunent!

Italici insignes eventus.

Die VII mens. novembbris foederi a Germania et Iaponia die XXVI mens. novembbris superioris anni contra Communistas inito, et Italia sollemniter accessit; die autem eiusdem mensis XXIX Manciukuo, Asiaticum imperium, cuius libertas anno MCMXXXII

declarata fuit, supremaque ditio kalendis martiis MCMXXXIV ad Puj, quondam Sinenium Imperatorem, assumpto Kangte nomine, cessit, publice recognovit, legationemque in imperii eiusdem urbe capite Hsinking instituit.

In Aethiopico denique imperio, Graviani, universae militiae magistro, a vicarii regis munere cessanti, Augustae Praetoriae Dux e Sabaudica gente suffectus est.

POPULICOLA.

VARIA

Audacia ferocitasque cum ordine
atque disciplina militari coniungendae sunt.¹

Ferocitas Galli eius, qui in pontem Anienis fortissimum quemque Romanorum ad singulare certamen provocabat, et paulo post a T. Manlio Torquato interfactus fuit, admonet me hoc loco ut expendamus id quod a Tito Livio aliquoties pronuntiatur: Gallos in primo congressu ferocissimos esse; paulo post timidos pusillanimesque fieri. Qua de re multi disserentes pronuntiant tandem huius rei causam in ipsorum peculiari quadam affectu naturae consistere. Ego vere facile confiteor hanc eorum naturam esse; sed idem contendeo, eam posse emendari, ita ut quae ferocitas a pugnae initio appareat, eadem usque ad extitum perduret. Cuius rei demonstrationem hinc exordior, quod triplex omnino sit exercituum discrimen. Quidam enim exercitus audaciam ferociamque coniunctam habent cum ordine et disciplina militari; ex qua disciplina militari et ordine videntur ferocitas et audacia ortae. Ac tales erant exer-

citus Romanorum, ut ex omnibus historiis facile constat, in quibus per longam rerum experientiam, singularis disciplina introducta cernebatur. Nil in iis nisi certo ordine et Imperatorum iussu fiebat: non edebant, non emebant, non dormiebant, nisi certo quodam ordine, et interveniente Consulis decreto. Hi soli ergo Romanorum exercitus, qui virtute sua totum prope orbem subiugarunt, nobis ad imitandum exemplo esse debent: qui aliter agunt, male faciunt; et quamvis praeclarci quidpiam aliquando patrent, id tamen tam virtuti illorum, quam fortunae tribuendum est.

Sed ubi audacia ferocitasque cum ordine et disciplina militari coniunctae sunt, durat exercitus robur usque ad extitum: animi militum eriguntur et victoriae spe confirmantur, persistuntque tam diu, quam diu ordines aciesque conservantur. In quibus exercitibus autem audacia et ferocia militum inest sine ordine et disciplina militari — quales tum erant exercitus Gallorum —, in iis contrarium accidit. Nam si non vincant primo impetu, sensim deficiunt eo quod non fulciantur virtute quadam ordinata, cui possint eorum animi insistere et certam victoriae spem concipere. At Romani, disciplina militari et ordini insistentes, de victoria non dubitabant, et eadem virtute a principio ad finem usque dicimabant, et armorum usu magis ad pugnandum accendebarunt.

Tertium genus est eorum exercituum, in quibus nec audacia ulla militibus natura inest, nec ordo, nec disciplina militaris, ut si illis fortuna non obiiciat hostem sponte fugientem, nunquam sint potituri Victoria; quam quidem rem unusquisque ex iis, quae quotidie apparent, facile cognoscet.

Sed age Livium ipsum audiamus, nobis explicantem qualem habere oporteat disciplinam militarem, et qualem rursus ceu perniciosam evitare. Adducit is Papyrium Cursorem, qui Fabium Magistrum equitum his verbis reprehendit: «Nemo hominum,

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade* T. Livii latine vertit H. BINDI.

nemo Deorum verecundiam habeat, non edicta Imperatorum, non auspicia obseruentur: sine commeatu vagi milites in pacato et in hostico errent: immemores sacramenti, licentia sola, ubi velint, exauctorentur; in frequentia deferantur signa; neque conveniatur ad edictum; nec discernantur interdiu, noctu, aequo, iniquo loco; iniussu Imperatoris pugnetur; non signa, non ordines serventur; latrocini modo, caeca et fortuita pro sollempni et sacra militia sit».

Haec Livius.

Glires.

Glires quercum arborem glandiferam dentibus eruere destinaverant, quo paratiorem haberent cibum, ne victus gratia toties ascendere et descendere cogerentur. Sed quidam ex iis, qui aetate et usu rerum ac prudentia ceteros longe anteibat, eos absterruit dicens: «Si nutricem nostram nunc interficiemus, quis futuris annis nobis ac posteris nostris alimenta praebebit?»

Fabula monet, virum prudentem debere non modo praesentia intueri, verum etiam futura longe perspicere.

P. Syri sententiae.

- Caeci sunt oculi, quum animus alias res agit.
- Caret periculo, qui etiam quum est tutus cavet.
- Cavendi nulla est dimitienda occasio.
- Cave quidquid incipias, quod post poenitentia.
- Coniunctio animi maxima est cognatio.
- Considera quid dicas, non quid cogites.
- Cui plus licet quam par est, plus vult quam licet.
- Deliberando discitur sapientia.
- Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.
- Despicere oportet quod possis deperdere.
- Desunt inopiae multa, avaritiae omnia.
- Dies quod donat timeas; cito raptum venit.
- Discipulus est prioris posterior dies.

Pro iudicibus mensarum elegan-tibus.

ESCARUM ORDO:

- Iuscum ex tritis spinachiis.*
- Asellus marinus elixus, oxyporo embamate conditus.*
- Parvi artocreates anserino iecore farti.*
- Pectus vitulinum in furno assum cum solanis tuberosis recentibus.*
- Spuma lactis. — Crustula.*

Locosa.

Mater Tuccio:

— Modo clavim adhibui ut armarium clauderem, neque eam ubi posuerim remissi valeo.

TUCCUS. — Numne et ipsam in armario condidisti?

TUCCUS in via ante singulas crepundiorum tabernas consistit. Ei Mater:

— Euge! ne contemplator tam assiduus ad has transennas adstes!

TUCCUS: — Eamus ergo intro!

Aenigmata.

I

Res hominesque mihi moderandi ius datur ae-
[quum].

Principium muta! Nave vehor vel equo.

II

Nuntius aurorae dicor: nihilominus idem vastavi quandam moenia Romulea.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore mens. octobris fasciculo proposita his respondent: 1) — (ubi vero pro *nuptis* legendum erat *ne-pnis*) — *Avia-avia*; 2) *Picus-ficus*.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[21]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Haec res nihilne proderit? istuc pol ultumumst.

AT. Ecastor proderit, o Regule. Heu gnati! proderit.

Mihi diffido. Ubi est pugio? Em hic est, accipe.

Fuit iste quidem mihi solacio, sed accipe.

RE. Ne tu multum dedisti pol cum hac sica mihi.

AT. Ita istos educo, ut sint ulciscundi cupidi.

Vindicta me excitat, ac simul etiam demitigat.

Mortem vestri patris, meam vitam formidabilem,

Dolores, terrores debetis vos ulciscier.

Auditin? debetis. Iam gaudabo, sentio.

RE. Atilia! — AT. Heu Regule! — RE. Apage te, recedito!

AT. Apage, recedam? hei mihi! eiulito; eheu!

SCENA V

REGULUS, POPULUS.

RE. Hinc abiit. Bodostor illam sequutust. Optume.

Vires me deficiunt. — Po. Hic te manere oportet; cogeris.

RE. Quis cogitur? Egone? Prodatis patriam licet,

Ego non, dico per Iovem. — Po. Istuc oportet fieri.

RE. Non est ita; resisto. Nam mei sum pol arbitrii!

Explicit Actus III.

ACTUS IV

SCENA I

METELLUS.

Itast omnis homo, inconstans et commutabilis,

Quoi si procul fortuna adfulget lucida,

Cupiditate concitatus additis eam passibus

Festinat adsequi; et ubi iam ad rem exspectatam pervenerit,

Tum sentit amplam dignitatem esse mendax speculum.

Quod ipsum minime expletat, cupiverit licet.

Meus mihi consulatus est pondus centenarium.